

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Jonstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Piscibvs|| Et Cetis|| Libri V||


Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529014

Illustration: Tab. XXXV. Piabucu [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11089



Piabucu.



Nhaquanda.



Guaria Teraba.



Amore pixuma.




Piracoaba.




Corocoro.



Guatucupa.



Vibaco.



Guarerua.



Camaripuguacu.



TA
XXX
8.

Idem



quamlibet branchiam, unam longam: sub his duas junctas in infimo ventre: in medio autem ventre duas spinulas acutas, quae membranula conjunguntur; et post has triangularem, quae deinceps angustata ad exortum caudae extenditur: in summitate dorsi triangularem mediocrem, et post illam aliam similem majorem, quae angustata ad exordium caudae porrigitur. *Cauda* in duo cornua extenditur. A branchiis linea tendit ad medium piscis, quae dein oblique deorsum vergit, et directe usque ad caudam porrigitur: haec posterior lineae medietas hamulis posterius versis armatur, et utroque latere triangularibus vestitur squammulis, quae minimae sunt, ut ad tactum glaber videatur. Coloris est in dorso et lateribus usque ad medietatem longitudinis ex hyalino caeruleo: reliquum laterum et venter albicat, sed aureus color transplendet. *Pinnae* ventris albae, reliquae cum cauda aurei sunt coloris.

Edulis est piscis.

Piracoaba, piscis pedalem longitudinem adipiscitur, corpore oblongo, ut *Zandae* Pomeranorum. *Os* habet acuminatum, amplum, edentulum: mandibulam superiorem longiorem inferiore, et superior pars oris prominet in rotundum conum e cartilagine constantem: *Oculi* illi satis ampli, pupilla crystallina, circulo aureo. *Pinnae* habet octo: nimirum duas in dorso triangulares erectas, interstitio sesquidigiti: post quamlibet branchiam unam longam, angustam; duas his breviores in infimo ventre junctas, et prope anum unam triangulatam; octava est cauda furcata. Sub quamlibet pinna postbranchiali barbam ha-

bet sex pilis crassiusculis constantem, tres digitos fere longis, estque ejus exortus prope exortum pinnarum, vergens retrorsum. Totus vestitur squammis mediocris magnitudinis argentei coloris, et in dorso ac summitate capitis paulum canescit. *Pinnae* quoque omnes cani, seu cinerei sunt coloris: postbranchiales tamen nigredine dilutae sunt. Barba alba. *Capitur* arenosis locis in mari. Boni est saporis.

COROCORO, piscis dorso incurvato, capite et ore obtuso: pedalis longitudinis. Denticulos habet parvos, haud acutos: branchias satis amplas, quarum anterior pars in spinam definit acutam: sex pinnae: nimirum in quolibet latere post branchias unam tres digitos longam, subtus in infimo corpore duas triangulares fere, sed in extremitate circinatas et antius firma et acuta spina suffultas, post anum una crassa, dura et acuta spina nixam, cui parvula spina antistat. A summitate dorsi pinna incipit, quam arcuatim ad medium dorsum tendit, firmis ac acutis spinis sustentata, hinc definit et contigua illi est mollis, quae et arcuata fere est, et paene ad exortum caudae protenditur. *Cauda* duos digitos longa, quatuor lata. *Squammis* majusculis vestitur totus argentei coloris, sed in toto dorso, et ejus summitate diluta umbra mixtis et per latera transversim (non tamen ad ventrem usque) in quolibet octo striae, digitum latum crassae, ex diluta umbra descendunt: venter totus albus, ut et illius pinnae. *Pinna* dorsalis, postbranchiales et cauda ex argenteo et diluta umbra mixtae. *Pinnam* autem anteriorem dorsalem in rimam potest recondere. *Capitur* in mari, et est edulis.

CAPVT XVI.

De Guatucufa, Vribaco et Guarerva.

TAB. XXXV. 7. 8. 9. Item ibid.

G VATVCVFA Brasiliensibus, *Balabolla* Congensibus, *Corvina* Lusitanis. Piscis corpore oblongo, dorso paulum, ventre minimum curvo: longitudinem duorum pedum non raro adipiscitur. *Os* habet acuminatum, cujus inferior pars paulo lon-

gior superiore, quodque ample potest diducere; *dentes* minimos, linguam conspicuam, branchias amplas; *oculos* stuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo argenteo. *Pinnae* obtinet septem; post quamlibet branchiam unam oblongam; duas sub his in infi-